Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1531
Quelle:
Copyright:

fol. 186. ſuperſcriptum eſt *Oyta*, et ad calcem Sermonis *de Purificatione fol.* 194. p. 2. rubro legitur: *Hic eſt finis ſermonis predicati per Magiſtrum Hinricum de Oyta.* de quo Viro jam alibi dictum eſt. Sermonibus his ſacris *fol.* 212. p. 2. inſerta eſt *Oratio* gratulatoria nomine *Univerſitatis Vindob.* habita ad Oratores ſuos *Petrum de Pulka*, *Caſp. Meiſelſtein* &c. 1418. ex Concilio *Conſtantienſi* reduces, quae incipit: *Reuerendiſſimi patres et domini preſtantiſſimi ac eccleſie ſancte dei vertices precipui Illuſtriſſime matris mee ſacre vniverſitatis Studij Wienn. Dominus rector Domini Doctores et magiſtri mei egregij hic preſentes* &c. Laudantur a rebus in Concilio pro Eccleſiae et Academiae bono geſtis, praecipue vero *Patriarcha* (Johannes) *Antiochenus*, cui Orator *metro*, ut ait, *vindonienſis in hiſtoria thobie reuerenter* ſic occinit:

Eccleſie capitalis apex ouium ſpeculator
Et ſpeculum preſul anthyocene faue &c.

Diſtichon iſtud parce detortum eſt ex *Matthaei Vindocinenſis* Scriptoris Sec. XII. *Tobiade*, de cujus editionibus agit *Fabricius* in *Bibl. med. et inf. Lat.* ubi ſic ſonat:

Eccleſiae Turonenſis apex ovium ſpeculator,
Ut ſpeculum, praeſul Bartholomaee, fave.

Codicem noſtrum utrinque ambiunt membranae fragmenta Epiſtolarum *Ivonis Carnotenſis* Sec. XIV. nitide ſcriptarum referentes, ut adeo cortex hic nucleo ſit potior. In ipſa vero theca anteriore *Verſus* adſcripti ſunt de *Mortis memoria*, quorum LIX. incipiunt: *Mors eſt a tergo*, et in vocem *ergo* deſinunt. Hos ſequitur aliud Hexaſtichon, cujus hi verſus notari merentur:

Dat facies chriſti reſpecta iuuamina triſti
Plusquam chriſtofori aut alius ſanctificati.

caſtigant enim Icones, quae illo aevo ferebantur hoc lemmate:

Chriſtophori faciem die quacunque tueris
Illa nempe die morte mala non morieris.

Ad imum marginem legitur: *Hos verſus felicis memorie fecit Magiſter Henricus Langeſtain nec non doctor egregius ſacre Theologie dictus*